Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1638 VII Idus Octobr. 3.

Speronowic Joachimi: Hellanodicae virtuti—



HELLANODICE VIRTVTI.

QVAM.

CVM FIDE BONA TRES ET VIGINTI.

PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATI.

IN.

OLIMPIIS ACADEMICIS PROBAVISSENT

CORONAS OLEAGINAS.

MERVERE.

OPERA.

M. JOACHIMI SPERONOVIC
Coll: Min: tũ Decani Facultatis Artistarum
Agonothetæ Certaminis.

Anno Domini 1638. VII Idus Octobris.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Stanislai Bertutouic.

NOMINA & COGNOMINA VV. DD. CANDIDATORVM.



1. Paulus Szadzynski
2 Matthias Bilinski
3 Ioannes Ofmanski
4 Ioannes Szymanski
5 Albertus Komorowicz
6 Petrus Suandrowic
7 Thomas Hunkiewicz
8 Paulus Iędrowicz
9 Hieronymus Szeltenreych
10 Albertus Węgrzynowicz
11 Laurentius Gabrielowicz
12 Gregorius Goſtomiowski
13 Valentinus Stalicki
14 Sebaſtianus Fęfrowicz
15 Nicolaus Biełkowic
16 Ioannes Korabski
17 Sebaſtianus Trzeciak
18 Andreas Suſzycki
19 Ioannes Iarczynski
20 Matthias Walowski
21 Bartholomæus Wiesiowic
22 Chriſtophorus Sidecki
23 Andreas Ordinius

HELLA-

HELLANODICE VIRTVTI.

CLarus coronis Hercules athleticis,
Quondã Palæſten qui Iouem in lucta inſcius,
Natus Parentem ſenſit; & exhorruit.
Olympicam plantâſſe conſilio graui
Dicitur oliuam: præmium certaminum,
Præſens nouorum, lucta, ſeu tactus bonæ
Metæ fauiſſet, ſeu anhelos carceres
Repetendo, curſu quis prior contingeret;
Aderant virentis præſtò præmia arboris.
Quæ Victor obtinebat aſſenſu Ducum.
Res grata præſtantibus vt arbitror fuit
Animis, Labor: quem gloriæ tantum decus
Exciperet. auſus quilibet paruos putat,
Cum præmiorum magna conſtitit fides.
Quoties corollis publico plauſu datis
Natis Parentes gratulabantur, virens
Cum cinxit arbor tempora, ac frontis decus;
Toties palæſtritas, & affines Viros,
Ad lætioris prouocabant carminis,
Opes amicas, laude pangendas noua.
Quid ni vocarent? gaudijs pleni bonis:
Quando iuuentus lætior, per arduos

Tendebat ausus, præmijs flagrans nouis.
Dilecta Matri, propter ausus tam graues
Proles, laborem quæ tulisti gnauiter;
Felix corollas accipe, & palmas, manu
Victrice textas, fouendo matris bonum.
Tetigisse metam constitit fausto pede.
Fauent corollæ: Iuppiter gratissimo
Luctator olim quas fouit studio potens.
Et Phæbus illas bicipitis præses chori;
Impensiùs complexus apponi sibi
Volebat. & Minerua studiorum Dea:
Dicant Athenæ quanto eas plausu tulit.
Sunt expetendæ mentibus promptè bonis
Doctæ corollæ; præmia augusti chori.
Quæ literatam promouent antiquitus
Felicitatem, gloriam, famam, decus
Pariunt perenne; expetendæ sunt maximè.
Redimita nunc his, omine apprecor bono,
Lucem capesse publicam, proles bona.
I clara gressibus bonis, i prosperis
Itineribus, magnæ parentis inclyta
Propago, qua genita parente sis proba.
Virtutis almæ, lumen optandum, tuis
Deprome factis, laudis hoc munus tuæ
Numerabitur, cum creueris maioribus
Exempla promens ausibus, quibus diu

Florere

Florere poſsis, luce publicâ grauis.
Quoue magis accenſum monitis pectus geras,
Aduerte; multis vocibus mater rogat,
Ætatis almæ, vt floridos prudens dies
Ingreſſa ducas: quam loqui ſic audio.
Tantos amæno pectore. ac placido intuens
Veſtros labores, ô mei pulchræ hortuli
Plantæ, ſecundis inſitæ Fauonijs.
Perfruor apertis gaudijs; cum publica
Præmia tuliſtis, quæ ſatis iuſto impetu,
Sudaſſe veſtram prædicant induſtriam.
Gratulor honores quos tulit Virtus boni
Conſcia laboris: creſcite, & factis graues,
Longis probate ſæculis, veſtrum decus.
Feliciter recreate. me veſtram diu
Matrem, labore, & arduis conatibus.
Sed ô parentis anxiæ ſolatium,
Dilecta proles, dogmatis fructum grauis
Quo cautior ſis accipe, pare pijs
Hortatibus, vitæ dies vt tranſigas
Præſtantiores, iuſſa nec temnas mea.
Quam ſæclâ ſummo vertice enatam Iouis,
Memorant Deam; ſapientia eſt ſoboles mea;
Parens honoris, præmium conatuum
Vitæ bonorum, Græcia *ſophian* vocant
Veſtigium felicitatis, lux bonæ

Mentis, receſſus ignibus luſtrans pijs,
Decus laboris, gloria & certaminis
Præſtantioris. ſequitur hanc prudentia,
Laudanda virtus, & grauis vitæ, comes
Perennis, haſce mille virtutes duas
Sequuntur, ô proles mea, his mentem dato,
Cùm deſtinatos capitis ornatus, ſacro
Numine fauente, lætior facta accipis:
Animumq́; totum conſecra tantis bonis,
Factura ſeciùs acre ſenſeris malum.
In laude ſummi promouenda Numinis
Cultus Numinis Qua parte poſsis, nemini cedas velim.
Res magna pietas eſt ſerenans languidæ
Mentis receſſus, triſtiores effugans
Nebulas Ceraſtæ turpis, ac dono pio
Spargens beatas corde flammarum vices.
Hanc mea rogatu fac meo proles colas,
Latura certo præmium magnæ domus,
Quam ſummus author omnium, laudi ſuæ
Conſtituit, à primis dierum ſæculis.
Maiorum reuerentia Venerare Maiores, ſecundos vt dies
Numerare poſsis; ſũma laus hæc eſt bonæ
Prolis, parentes intimo cultu, fide,
Reuerentiâ, ſi proſequantur candidâ.
Scientia cũ virtute coniungenda. Studioſiùs ſcientiarum quodlibet
Genus expetas, contentio quàm plurimos
Prouexit

Prouexit ampliùs. & in altum protulit.
Sed ſcire minimum eſt, abſq́; virtutis bono;
Meliùs vocetur docta negligentia.
Perfectiùs contrà nihil, quàm mens proba
Coniuncta cum ſcientiâ, gemmæ refert
Lucem, aureis quæ rutilat impoſita tholis.
Non explicatur verior felicitas
Sermone grato; facta quem rident tribus
Horis peractis, ſemper elucet locis
Omnibus Honeſti ſplendor idem. nec magis
Laudanda (vulgus quod tamen tanti facit,)
Hominis diſerta lingua quæ nocet probis
Pungitq́; multúm. veritas aliter docet;
Cogitq́; turpi cuncta reuocari gradu.
Silere maxima dicitur virtus, Dei
Munere tributa, lingua ne loquax fluat;
Zeno hoc Athenis docuit, in conuiuio.
Fili tace, multa bona habet ſilentium.
Neq́; garrulos prudentior quiſquam probat
Senſus in arcto detinendi carcere.
Qui monſtra ſuperant nec modum nôrunt leues,
Laſciuiendi, cum ſemel proruperint.
Paſsim tyrannus oculus, inſidias ſtruit,
Paſsim domandus, ne miſer victus cadat
Olympionicem Dioxippum leuis,
Irriſit athletam ſophos, veteris cadi;

Quod

Quod qui coronam modo paleſtræ protulit,
Succubuit oculi protinus dolis miſer.
Sic ſic iuuentus quæ parum cautos agit
Dies, recumbit ante tempus non ſuum
Mirumne? quando monſtra, tot criminum
Cumuli, iuuentam maximè incautam necant
Mundi dolos quot intueri lubricos
Cogimur, & acres vulnerum ictus perpeti
Non tam frequens eſt germinum campis color
Quàm crebra mundi proditoris imminent
Extenſa paſsim ſtamina & verſutiæ
Quare timendum, aduerſa ne ſors turbine
Te cara proles miſceat, cautam parum,
Et mox apertis te ſagittis, vulneret,
Vexet, doloſo pectora & gemitu impleat
Aduerte facti terminum cuiuslibet,
Quamcunq; vitam duxeris, caue, cauè,
Ne ceſpites, ne diffluas graui malo,
Nil turpe dictu ſiue factu cogites,
Amica ne ſis ac adulatrix ſimul,
Sed cauta prudensq́; fuèris, in amicis tuæ.
Vitæ legendis, decipit hæc res plurimos
Fomenta, philtra potius incautæ plebis
Hæc ſunt dolenda, quæ titillando premunt:
Lectis amicis te velis promptiſsimam
Præſtare, condimenta ſunt vitæ, probi

Amici;

Amici, res vt cara, sic rara admodum.
Ætate quando longiùs processeris;
Si publicum quid gesseris, bonum tuis
Conciuibus quod prosit aduertas magis;
Nam Magistratus optimus tunc dicitur,
Si ciuibus cunctis bonum & iustum cupit.
Odium bonorum fuge malorum ne time
Modò vixeris rectè cadent hostes, cadent,
Malitia namque est pœna sibi certissima,
Metuendaq; magis, omnibus malis,
Quàm flamma, ferrum, quàm vlla vis hostilium
Incursionum. nemini probo noce,
Miserrimos quando potes curis leua,
Panibusq; conditis carentes sustine,
Iussu Magistri, qui futurus iudicis
Feret, tremoris ni velis plenissimam
Sententiam. quid pluribus te prosequar
Monitis: bonarum quando habes præsidia
Scientiarum, quibus amænioribus
Horis fruare plenior, prudens, grauis.





PAVLO SZADZINSKI.

MOribus egregijs animi proferre decorem,
Dum viuis, verum eſt nobilitatis opus.

MATTHIÆ BILINSKI.

PVlchriùs, aſſurgunt Bilinski ſtemmata, honoris
Vertice cum redolet laurea pulchra ſuo.

IOANNI OFMANSKI.

PRima corolla tibi data; tu contende Ioannes
Vt virtute pares ſerta ſecunda nouâ.

IOANNI SZYMANSKI.

SAnctiùs obſerua venerandi iuſſa Patroni
Qui decus auguſtæ eſt deliciumq; domus.

ALBERTO KOMOROWIC.

CErnere tot patrij non ſufficit ampla decoris
Lumina, ni factis arduus ire velis.

PETRO

PETRO SWANDROWIC.

GAletes forma egregius ; aſt moribus idem
Maior erat ; Petre at tu mihi maior eas.

THOMæ HVNKOWIC.

VIrtutes animi Patronorumq; fauores
In precio retine, ſic bona multa leges.

PAVLO IANDROWIC.

QVod facit agricola autumni ſemente peractâ
Verus in hoc ſtudij tempora cultor age.

HIERONYMO SZELTENREYHC.

CRacia quos pulchris natalibus ornat, habentur
Extremis faciles : tu meliora legas.

ALBERTO WEGRZYNOWIC.

QVod tenerã ad validos auſus conferre iuuentã
Collibuit ; gaudent, Cracia ; & alma parens.

LAVRENTIO GABRIELOWIC.

CRescere tu poteris modò docti iussa Magistri
Nosse velis, monitus, dogmata, consilia.

GREGORIO GOSTOMIOWSKI.

CErnin? quo patrium fulgens exemplar honore
Te vocat, hinc animi fac documenta legas.

VALENTINO STALICKI.

MOribus & studio præstantia vera paratur
Cum studijs probitas ingeniumq; valent.

SEBASTIANO FAFROWIC.

REs agitur præstans valido non corporis ausu
Consilio melius, tum pietate viget.

NICOLAO BIELKOWIC.

DE paruo cumulos ingentes anxia promit
Sedulitas; carie non violanda malâ.

IOANNI KORABSKI.

INgenium ſtudijs, mores grauitate coluntur,
Inter vtrumq; tuos diuide ritè dies.

SEBASTIANO TRZECIAK.

QVid duram timidæ potuit perfringere tandem
Naturæ luctam? peruigil anne labor?

ANDREÆ SVSZYCKI.

COrporeas vires animi præſtare beatis
Vſibus, & ſtudijs; laurea prima docet.

IOANNI IARCZYNSKI.

QVod natura dedit repetet; ſed clara manebit
Gloria virtutis, quam tibi conde libens.

MATTHIÆ WALOWSKI.

INcumbe ad ſtudium tribuit contentio multis
Conſiliumq; foris præſidiumq; domi.

BARTHOLOMÆO WIESIOWIC.

TOlle moras ; volucres cernisne recedere mẽſes
Invigila, ſuda, perfice mentis opus.

CHRISTOPHORO SIDECKI.


EXcole dum florent prudenter tempora vitæ
Quæ ſtudium peperit, ſunt bona vera magis.

ANDREÆ ORDINIO.

ORdine poſtremus ne ſis Virtute labores
Vltimus ORDINI plurima promptus age.

OMNIBVS SIMVL.

Pergite felices mea germina pergite fauſti
Virtus conſilium ; ſorsq; ſecunda dabit.







EXoſculandum, quod de Eretrienſi lectum eſt adoleſcentulo, qui diu Zenone vſus prœceptore, cum in patriam velut poſtliminio rediret, ſciſcitante vehementius patre, quid demum ex ſapientiæ hauſiſſet fontibus: Commonſtrabo inquit. At pater indignabundus hoc nomine, veluti opera planè periſſet ac impenſa, cum intentaret plagas, clementer filius & quietè inſolentiam ferens. Ipſum hoc inquit ex Philoſophiæ retuli contubernio, vt parentis iram poſſem concoquere.

Cœl. Rhodig. Lect: Antiq:
Lib: 13. Cap. 13.



Sub fælicibus auſpicijs, Admodum Reuerendi & Magnifici Domini, ALBERTI BOROVII S. Theol: Doct: & Profeſſoris Cuſtodis S. Floriani Canonici Scalbimirien: & SS. Omnium, Almæ Vniuerſi-tatis Cracouienſis vigilan-tiſsimi RECTORIS.





i &

S.